



1728.

1. Bee

60

2. Man

3. Wn

für

1729.

1. Par

2. Par

ne

3. Ma

4. Tr

1/2

1730

1. B

9

10.

Vol. 2 P. 21

1730, 4.

11

DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>O</sup> PHIL<sup>O</sup>SOPHICA  
SISTENS CAUSAS  
CUR  
**ERRORES & FALSI-**  
**TATES FACILIUS**  
QVAM  
**VERITAS PROPAGENTUR**  
QVAM  
SUB DEI TRINUNIUS AUSPICIIS  
ET  
CONSENSU AMPLISSIMÆ FACULTA-  
TIS PHILOSOPHICÆ  
AMICO COMMILITONUM CONFLICTUI  
EXPOUNT  
PRÆSES  
**M. JOHANN. HINRICH.**  
**TIWIET MEYER,**  
ROSTOCHIENSIS,  
ET RESPONDENS  
**JOHANN JACOB LÜDERS,**  
PHIL. & S. S. THEOL. STUD.  
IN AUDITORIO MAXIMO  
ANNO MDCCXXX. D. JULII

ROSTOCHI<sup>I</sup>,  
Typis IO. IAC. ADLERI, SEREN. PRINC. & ACAD. Typegr.

KÖNIGFRIED  
UNIVERS.  
ZV HALLE



INCLYTÆ & FELICIS  
REPUBLICÆ LÜNÆBURGENSIS  
SENATUI  
SPLENDIDISSIMO,  
**MAGNIFICIS, GENEROSIS, IL-**  
**LUSTRIBUS, CONSULTISSIMIS, AMPLIS-**  
**SIMIS, NOBILISSIMIS, DOCTISSIMIS,**  
**PRUDENTISSLIMIS**  
**VIRIS**  
**DOMINIS**  
**CONSULIBUS,**  
**SYNDICIS, SENA-**  
**TORIBUS,**  
MÆCENATIBUS, PATRONIS AC  
PROMOTORIBUS SUIS  
HUMILLIME VENERANDIS  
VITAM DIUTURNAM  
**VIRES ANIMI, CORPORISQUE INTEGRAS,**  
SUCCESSUS CONSILIORUM PROSPERRIMOS  
FELICITATEM PERENNEM  
TOTÙ PECTORE APPRECATUS  
HOC  
DEVOTISSIMI & OBSERVANTISSIMI  
ANIMI MONUMENTUM  
DAT DICAT OFFERT  
**JOH. JACOB LÜDERS, LUNÆBURGENSIS,**  
PHIL. & S. S. THEOL. STUD.



## PRÆFAMEN.



Nimum atque manum disputationi conscribendæ applicans, illud mihi præ reliquis sumpti haud sterile argumentum, qui fiat, quod falsitas & error adeo feliciter & facile præ veritate propagantur? Sane qui experientia sola gaudet, fœcundum foetum, & largam erroris messem apprehendet, veritatis autem parcam segetem, adeo ut spinis & acanthice obsita & suppresta, vix ac ne vix quidem emerge-re & progerminare possit. Sedulo itaque in hujus rei causas inquirens, memoriae subveniunt illa, quæ D. PAULUS, divino collustratus spiritu scribit ad Thessalonicenses, ἀνθ' ἦν τὴν αἰγαίην τῆς ἀληθείας ἐκ ἑδεῖσιο εἰς τὸ σωθῆναι αἵρεσιν καὶ διὰ τοῦ περιψεύσασθαι οὐδεὶς ὁ θεὸς ἐνέγειται πλάνης, εἰς τὸ πιστεῦνται αἵρεσιν τῷ ψεύτῃ. (a) Ex quibus verbis multa foenerare posset ille, qui in causas erroris gnaviter inquirit: Sic etenim sunt justissima DEI iudicia, qui post supinum neglectum & veritatis contemptum permittit, ut in devia & labyrinthos errorum illi abdu-

A

(a) 2. Thes. II. 10. & II.

„abducantur, qui in recta veritatis semita deambulare du-  
bitarunt, ut coecitate persecuantur, qui lucem aspicere re-  
cusarunt, ut erroribus atque mendaciis fidem habeant, &  
falsissima quæque sine judicio promiscue arripiant, & tue-  
antur, qui veritati consentire noluerunt, quæ sunt verba  
D. GOTTL. WERNSDORFI (b) & juvat hic etiam D. PHIL.  
JACOB. SPENERI (c) verba adscribere. Weil sie nemlich sei-  
ne Wahrheit, die er ihnen vorgetragen nicht dermassen geliebet,  
und ihr Platz bey sich gegeben haben, wie seine gnädige Absicht  
gewesen war, damit haben sie also dieses Gerichte wol verschulde-  
det, dieweil sie sich selbst der Wahrheit nicht würdig geachtet ha-  
ben (Siehe Ap. Gesch. XIII, 46.) diese ihnen genommen und der  
Lügen Macht gegeben wird.

Dispiciam itaque in præsenti opella, quo usque pertinge-  
re valeam, juxta cognitionis meæ modulum, penitus ex ra-  
tionibus Philosophicis examinans causas, cur falsitas & error  
facilius & felicius propagentur quam Veritas: Quippe facile  
euilibet constabit, quam honestum utile & jucundum sit, e-  
jusmodi insudare laboribus, facilius etenim sic medicina par-  
rabitur erroribus & falsitatibus. Et cum Alma præterea no-  
stra Academia festiva solennitate Jubiläum Religionis vere  
Apostolica celebret, ac errorum & falsitatum simul recordetur,  
ex quibus, opera Viri divini M. LUTHERI, eluctari potueri-  
mus, fortean etiam aliquid hæc dissertatiuncula conferet ad  
dignoscendas Papatus irrationalibes, ut ita loquar, falsitates,  
Dilucida etiam applicatio fieri potest ad Romanam ecclesiam,  
quæ erronea & falsa adeo magnos fecit progressus ut  
veritas apud illam fere exulaverit. Faxit  
itaque Deus feliciter:

TRACTA.

(b) Dissert. Theol. de efficacia errorum Wittenb. 1716. S. VII.  
p. 23.

(c) Im gerechtem Eyfer wieder das Antichristische Pabst-  
thumb ex editione D. J. G. Pritii p. 335. ss.

# TRACTATIO.

THES. I.

Veritas est non nisi una atque unica.

S. I.

Omnibus hominibus est connatus affectus emergendi, & felicitatem enixius sectandi. Verum experientia abunde docet, in diversum singulos fere abire, dum diversissimis adhibitis mediis adhunc summum adspirant finem. Hinc tot aberrationes, tot fallaciae & sophismata practica, quot crabrones, quando maxime calet. Inquitens itaque Philosophus in causas, facile advertit, quod omnes pravaricationes oriantur a desertione genuinæ Veritatis, quippe quæ non est nisi una atque unica.

S. II.

Succinctius autem declarabo thesin, digitum intendens in questionem: quid sit veritas? experientia etenim docet, quod omnes veritatem crepant, & a suis partibus illam stare autem. Quare causas scire jucundum. Veritas vero est conformitas intellectus nostri cum rebus extra mentem nostram positis.

S. III.

Plenius hæc dabo: Natura omnium rerum sese conspiendam nobis exhibit, & quidem adeo, ut insuo nexu & ordine, junctis causis, principiis, modo agendi &c. vere adsit, non autem sic, ut hæc omnia sensuali demonstratione, & oculorum intuitu usurpari possint, sed occulta plerumque jaceant. Nam si rem interdum scimus, modum tamen ignoramus, si res est evidentissima, causæ tamen & principia non æque patent.

A 2

S. IV.

## §. IV.

Hinc animum applicat Philosophus, aut sedulus naturæ scriptator, ut res §. III. descriptas sibi cognitas reddat. Quare omnem mentis aciem eo intendit, ut existentia rerum perspecta inquirat in essentiam illarum, & in hac modos & attributa cognoscat, ac ex oppositis majorem feneretur lucem. Probe siquidem videmus, quod in rerum natura nil adeo in aprico sit positum, ut primo statim intuitu omnia pateant. Non dantur simplicia, elementa, atomi, monades &c. sed omnia sunt individuo nexo invicem coniuncta. Philosophus itaque abstractiva mentis contemplatione hypotheses sibi finit, simplicia, principia præsupponit, ut eo felicius scopum & finem meditationis obtineat.

## §. V.

His rite & legitime constitutis mentem applicat, & rerum sibi acquirit cognitionem: Quæ, quando accurate & ex amissi conspirat cum ipsa rerum natura, veritatem gignit, vi cuius repræsentamus rem in illo nexu, statu modo &c. quem revera habet, adeo ut nihil sit residui in alicujus rei constitutione, quod intellectus non perspectum habeat.

## §. VI.

Apprime illi agunt, qui veritatem dispescunt in illam, quæ est in essendo, & quæ est in cognoscendo: Illam defini vi §. II. quam Veteres etiam Veritatem enuntiationis appellavit, & definire solebant per adæquationem notionum, quæ sunt in intellectu cum rebus, & orationis cum notionibus, ita ut oratio consentiat cum notionibus animi, notio animi cum re ipsa extra animum vere existente, quæ est definitio D. ALB. GRAUERI (a). Hanc scilicet veritatem in essendo cum Magnifico D. D. AEPINO (b) sic constituo: quod sit præsentia essentia rei inesse debitæ, per quam Ens est id, quod est. Cum itaque omne Ens habeat essentiam sibi inesse debitam,

ex

(a) In Libello de Unica veritate p. 17.

(b) Metaphys. ad. Theol. appl. p. III. S. I. C. III.

ex hac norma cognitio erit determinanda. Quibus id sigillatim addo, quod hinc discrimen veniat inter lumen naturae, & lumen rationis, qua de re succinctius post reliquos egit D. D. WALCHIUS (c).

## §. VII.

Cum itaque unius entis una tantum sit essentia, hinc unus & unicus quoque de aliqua re saltem poterit formari conceptus, qui quando rei ex amissi respondet, est ac dicitur Veritas, quæ igitur non nisi una atque unica esse poterit.

## §. IX.

Quid per unum & unicum indigitem, facile etiam ex his jam patet. Paucis tamen agam: In consideratione aliquius rei conceptus noster rem primo ab omnibus aliis rebus follicite distinguit, inquirit ulterius in rei naturam & constitutionem, & demum ex hac contemplatione elicit reliqua attributa, & relationes, quibus recte se habentibus comprehendit, quod exclusive, reliquis praecisis, hic vel ille conceptus delineat objectum, illudque sic exhibeat, ut contrarium asseri nequaquam possit. Omne etenim Ens cum sit unum, una & unica saltem veritas & conceptus de illo formari poterit.

## THES. II.

## Probabilitas est etiam una.

## §. IX.

Omnes res in suo nexus continent Universum, cum vero ille nexus non semper exacte liquet, subsistendum est non nunquam Philosopho in probabili cognitione. Id quod plerique negligentes, & ubivis mathematicas demonstrationes affectantes, ad decumanos deduxit errores, quare Recentiores maxime doctrinam de Probabilitate in Logica sedulo excoruerunt, cuius causæ summam utilitatem exhibit CELEB.

A 3

GENTZ-

(c) Einleitung in die Philos. L. I. C. I. §. IV.

## GENTZKENIUS in peculiari Programmate Logicæ annexo.

## §. X.

Dissentio quidem oritur summa, quid proprie probabile sit? cum omnes errores probabilitatem saltem affectent. At enim vero res est clara, cum RÜDIGERO etenim & GENTZKENIO definio probabilitatem per ratiocinationem, qua ex convenientia plurium sensionum i. e. effectuum vel causarum, vel judiciorum vel testium vel aliarum circumstantiarum, aliiquid colligimus, summum evidentiæ gradum minime habens.

## §. XI.

X. Quemadmodum vero argumenta probabilitatis sese habent, sic assensus noster sese omnino etiam habere debet, mox nente LOCKIO, hinc observamus gradus probabilitatis. Cum veritate etiam non est ejusdem indolis, quippe hæc consistit in puncto, & est una atque unica, probabilitas vero suos advenit gradus, adeo etiam, ut interdum duas opiniones atque probabiles esse videantur. Quare vix sibi constare poterit thesis. Verum, candidate satis docetur, quod ratione subiecti aliquam rem considerantis, una tantum sit probabilitas summa:

## §. XII.

Evidenter thesin explicabo: Homo rem aliquam gnauiter advertens omnes intendit animæ vires, ut rem habeat cognitam & perspectam, sed deprehendens, quod tamen non omnis formido oppositi exulet, illam ambabus amplectitur opinionem, quæ summum probabilitatis habet, gradum hancque probabilitatem habet unam: quippe reliqua opiniones non atque flectant assensum.

## §. XIII.

Præcipue quando in theoria versamur, peculiari tenemur obligatione, id afferendi, quod est probabilissimum, & in Practicis devin & i sumus actionem instituere, ad probabilissimam opinionem: quid quod! fere persuaderor, vix ac ne vix quidem unam sententia.

De Intellectu humano Lib. IV. Cap. XVI. §. I.

sententiam æque probabilem esse ac alteram, quod tamen problematice saltem afferuero. Memoria subveniunt Philosophorum circa hanc causam regulæ: In probabilitate dubia sapientem aut ignorantiam potius profiteri, aut actionem suspendere, vel si una est sententia eligenda, tutissimam tuendam suscipere:

## THES. III.

## Falsitates sunt innumeræ.

## S. XIV.

Hominum plerosque in errore & præjudiciis versari est vel sola experientia teste clarum. Periudantur autem, has prævaricationes esse genuinas demonstrationes. Quare vindendum quid sit error, & quid sit falsum. Ubi observandum, quod equidem inter errorem & falsitatem quædam designari possit differentia, qua tamen tanta non est, ut aliquid momenti rei ipsi afferat. Deductio autem totam rem penitus declarabit.

## S. XV.

Falsitas est disformitas idealium nostrarum cum rebus extra mentem nostram positis. Cujus processus hic est: homo deveniens ad objecti alicujus considerationem, & genuina minus adhibens media, ignorantia quippe impeditus & præjudicis fascinatus, ad professionem alicujus sententiarum quasi rapitur, sic ut rem non satis examinatam veram credat, illamque defendendam & propagandam suscipiat, hinc enascitur error & falsus conceptus, qui in sola mente existit, quia nil in rerum natura est falsum: false autem per ideas mancas & mutillas nobis rem representamus.

## S. XVI.

Cum vero apud diversos homines diversi sint erroris fontes, & imprimis præjudicia in culpa sint, ut error committatur, facile hinc dispalecit, quod innumeræ possint pro diversa hominum conditione dari falsitates: Vide sis exempli causa varias de cultu divino falsitates, cum, quot gentes in

in Universo dentur, tot sint etiam cultus religiosi genera. Larga  
sic est falsitatis atque errorum varietas :

THES. IV.  
**Veritas est a DEO.**

S. XVII.

Summus rerum arbiter nos voluit esse felices, ad quem  
finem pro sapientia sua, bonitate & potentia optimas promul-  
gavit leges, quæ nil aliud sunt quam Veritas ad felicitatem  
nostram vergens; Has leges quilibet, debita ad hibita indu-  
stria, cognoscere dijudicare & applicare potest, sic ut officia  
parato animo a quolibet exsolvantur & omnis hominum actio  
ad divinam componatur voluntatem. Cum vero omnis actio su-  
scipiatur prælucente intellectu & decernente voluntate, facile  
concedimus, quod intellectus primo in veritatem inquirere,  
inquisitam dijudicare, dijudicatam feliciter applicare debeat.

S. XIX.

Unde autem? quibus subsidiis & adminiculus id fiet?  
Certe Deus huic prospexit fini, quare lumen naturæ adeo  
posuit clarum quam clarissimum. Instruxit intellectum,  
ur mediante sensione res ad felicitatem conducentes possit co-  
gnoscere. Nam qui vult finem, vult etiam media. Sunt  
Experientia, Ratio & Revelatio adæquatæ viæ, quibus fe-  
liciori gressu ad omnium veritatum penetralia pertingere va-  
lemus. Quicquid itaque veritatis in rebus deprehendimus,  
id omne DEO vindicare proprio successu possumus. De ve-  
ritate enim revelata fortean nullus dubitabit, de veritate ra-  
tionali seu naturali facilis est demonstratio, cuius causa haud  
spernenda argumenta deprehendes in D. ALB. GRAUERI  
libelle citato p. 18. qui contra Hofmannum duplē asseren-  
tem Veritatem alteram Theologicam, quæ est a DEO alteram  
Philosophicam, quæ est a diabolo, masculæ Philosophiæ veri-  
tatem a DEO esse defendit.

THES.

THES. V.

Falsitates & errores abs hominibus sunt.

§. XIX.

Quemadmodum circa mali originem dubius intellectus hæret, sic etiam circa erroris scaturiginem nescius interdum maneta. Res enim est historica, itaque cum documentis destituantur probabilitas in causas est inquirendum. Cognoscit tamen homo, quod a D.E.O optimo & justissimo malum nequaquam propullulare possit, absurdum præterea & ridiculum rationi sanæ videtur duplex Manichæorum Systema, quod duo coæterna, alterum boni, alterum mali principia exhibit. Circumspiciens itaque, nil in universo deprehendit, quod mali autor opportunitus nemo possit designari ac ipse homo. Nam cum revelatione destituamur, ægre devenimus primo statim intuitu ad diabolum, quamvis sana ratio revelationem illiusque solidiorem informationem ambabus, ut loqui solemus, ulnis amplectatur.

§. XX.

Idem contingit circa errorum causas, solet illud mortaliū commune esse vitium, quod malum & errorem extra se querant. Philavtia adeo oculos obfuscat, ut nunquam sua sponte peccasse videri velint homines, sed mali ac erroris causam studiose a se amoliantur: maxime id circa errorem evenit. Homines erroris convicti, difficulter sibi persuadent, quod egregius illorum, & quem sibi fingunt, divinus intellectus a vero aberraverit, & cum nihil habeant, quod obloquantur, aliquid extra se querunt, & in illud culpam conjiciunt.

§. XXI.

Vera tamen errorum & falsitatum causa in ipso homine latitat, utpote qui præjudiciis aut infantia aut præcipitatis aut autoritatis ad falsitates protrahitur. Cui etiam vo-

Iuntatis perversæ inclinationes errandi occasionem frequenter subministrant. Haud abnuerim, quod, quando ad sacrum codicem debita observantia devolvamur accuratius omnino errorum designare fontem queamus, hinc eo lubentius ex his fontibus nostra irrigamus arva, ibique deprehendimus, hominem cum erroribus & vitiis conflictantem & misere tandem succumbentem. Hominis intellectus est, qui remissior est in veritate, voluntas illius prior ad vitia quam virtutes, affectus magis ad falsa quam vera sunt inclinantes.

## S. XXII.

Certum circa hanc rem quod diabolus commoverit hominem. Cum etiam illud rationi haud incongruum videatur, Spiritum cum Spiritu suas communicare posse cogitationes: Verum hæc sunt altioris indaginis. Subsistam circa rationem, ex qua plane liquet, quod homo totus totus corruptus ipse errorum existat autor, vel nimium faciens vel justo minus agens.

## THES. VI.

**Veritas est nuda, plana simplex.**

## S. XXIII.

Ille qui veritatem sectatur luculenter deprehendit, quod omnis veritas æque logica ac moralis tendat ad unum finem. nempe ad felicitatem totius hominis. Cum vero hæc radice tur in genuina felicitatis idea, simplicissima ratione lumen naturæ nobis revelat, quid agendum & omittendum, quæ sententia amplectenda, quæ recusanda. Id quod sit sine ullis ambagiis, & quidem adeo terse & simpliciter, ut omnes omnino homines hujus sensum experiri insigniter possint. Omnium naturæ harmonice respondet veritas. Et cum felicitas in ipsa rerum natura radicetur, hæc autem sit una, & eadem, sane non nisi nuda, plana & simplex de illa concepta veritas esse poterit. Memini, quod veritas suis etiam ornamenti haud destituatur: Verum hæc non sunt simulacra aut fallacia phalerata, sed potius integumenta & vestimenta quæ

qua veritatem magis magisque amabilorem reddunt. Cum  
jam per se sit pulchra & amabilis.

S. XXIV.

Quilibet facile assequetur, quid per terminos thesis in-  
digitem, & quomodo sint oppositi falsitatis conceptui. Hinc  
circa hanc causam adamante notandum cupio, quod veritas  
utatur simplicissimis etiam mediis, optimis adminiculis & na-  
turali modo agendi. Deus enim, cum sit veritatis autor  
planissima ratione nobis illam revelavit & media nobis lar-  
giora suppeditavit, quibus illam assequi feliciter possumus.  
Dedit sensus cognitionis nostra administratos, per quos re-  
rum existentiam, qualitates & effectus cognoscimus. Dedit in-  
tellectum, cuius ope essentiam, causas agendique modum in-  
telligimus, adeo ut his legitimis adhibitis mediis sine longo  
lyrmate & ambagibus ad felicitatem adspirare possimus.

S. XXV.

Ulterius rem prosequor: Veritas, qua est nuda simplex  
& plana, phalerata non opus habet dictione, non commen-  
datione, sed in se & sua natura ejusmodi instructa est effica-  
cia, ut finem assequi possit, nisi malitiosa reluctantis accedat  
resistentia. Est in se & sua natura viva, adeo ut tendat  
semper ad praxin introducendam in intellectu æque ac volun-  
tate, nisi a subiecto frivole impediatur.

THES. VII.

Falsitas est phalerata, ambigua &  
sibi minus constans.

S. XXVI.

Illa est falsitatis conditio, quod splendidis utatur simula-  
cris; Oculos & animos hominum grato intuitu demulcit,  
speciem veritatis affectat, felicitatem ostendit imaginariam.  
Phalerata utitur dictione, argumentis veri speciem pra se fe-  
rentibus, ac potius mentientibus procedit, sophismatibus  
ludit,

ludit, demonstrationes evidentissimas fingit, splendide mentitur, falsi principia sternit, & haec omnia adeo concinne, operose sed dolose explicat, ut ignorantes facili negotio illaqueentur. Probe præterea affectibus fese insinuare didicit. Jucundissimas res afferit, utilissimas res uberiori proventu in sinum effundere videtur, omniumque fese accommodat passionibus prædominantibus.

## §. XXVII.

Ambigua præterea est & minus sibi constat. Datur quidem facta etiam errorum analogia, sed si προσέχεις ψευδό de texeris totum corruet fundamentum. Quamvis verum sit, quod & ex uno errore mileni ali propullulare possint. Cujus cause rationes infra prolixius subducam. Et id solum modo notabo, quod, quemadmodum Ethnicorum virtutes splendida erant virtus, & in externo suo exercitio apprime erant conspicua, & virtutes Christianorum superare videbantur, sic etiam fallitatem & erores sint comparati. Contempleris splendidos errores Stoicorum, qui sane multos eo deduxerunt, ut cum Christianis veritatibus illos conspirare amicissime cederint, cum tamen sint fallitatem enormes, irreligiosæ at detestabiles.

## THES. IIX.

**Homines tamen corrupti facilius  
falsitati quam veritati locum  
relinquent :**

## §. XXIX.

Hominem esse corruptum etiam ipsa sana ratio docet, id quod abunde præterea ex eo patet, dum veritatem homo facile exterminat, falsitati vero locum relinquit. Prostant exempla, quod homines a puerò veritatibus innutriti ad falsitatis tamen transeant castra, quæ quæso naturæ humanæ imbecillitas? Spuriam sibi fingit homo libertatem sentiendi,

& hinc alteram partem , puta erroneam , non adeo improbabilem aut detestabilem sibi singit . Dubitando subinde progreditur homo , & de veritate vel anxius hæsitat , vel negligeret illam respuit . Ardor solet apud non nullos pro veritate radicibus extripanda , & falsitate stabienda esse . Pro veritate languescent vires , & unus ictus totum præcipitare potest arborem . Ubi illud demum observandum : quod homo interdum inscius veritatem amittat , dum præpeditus aliis negotiis vix de illa amplius cogitat , hinc eo facilius falsitatibus , sese nova imagine repræsentantibus , locum relinquit . Verum non omnis prorsus statim ejicitur apud non nullos veritas , sed ruderâ superfunt , reliquiæ , & stamina protestant , quæ autem vel falsitati minus resistere possunt , & hinc exulant , vel cum falsitatibus mixturam & unionem inire coguntur . Illustrè est exemplum a gentilium idolatria desumendum , nec non a Papatus ceremoniis , dogmatibus , ritibus , quæ omnia aliquid veritatis habent , sed falsitatibus sunt obnubilata , quod egregie exhibuit , post in numeros reliquos . Chemnitius (a) & Dallæus . (b)

s. XXIX.

Qui nunc falsitatis incunabula incrementa , & uberrimam propaginem follicitioni animæ cura considerat , fortean recordabitur elegantissimæ imaginis ex natura rerum desumptæ : Quod zizania uberioris progerminet , quam olera , & reliqua fementis . Adeo efficaciter errores hominem commovere possunt , ut relicta veritate non eat , sed audaci gressu ruat in contrariam sententiam , quam adeo alte animo infixam tenet , ut famam & vitam non nunquam potius perdat , quam opinionem ejuret falsam . Est luculentum in Superstitione exemplum , quæ apud homines adeo altas agit radices , ut pro aris & focis illam defendant , & tristissimos post se relinquit effe-

B 3

ctus,

(a) In Examine concilii Tridentini.

(b) De cultibus religiosis Latinorum libri novem Geneva 1672.

Etus, quos apprime delineavit Baylius, (c) nisi pro stabili-  
enda sua hypothesi: Rem publicam Atheisticam facilius  
constare quam superstitionem, nimia auxeli usus fuisset. Cer-  
tum hinc omnino esse crididerim, falsitates homines cor-  
ruptos magis magisque demulcere, & oculos quasi fascinare.

### THES. IX.

**Hinc penitus causæ introspicien-  
dæ & examinandæ sunt.**

#### §. XXX.

Supra jam in thesi V. etilius paragraphis deduxi, quo-  
modo homo errorum sit subjectum, & causam uti omnium  
malorum, sic etiam falsitatis & errorum, quod autem nunc  
prolixius fiet, dum per causas rem scire, genuini Philosophi-  
a sit criterium. Et præterea hæc res tacitis initis & occultis  
ex causis est cœpta, hinc illas detegere est jucundissimus la-  
bor, Singulas itaque per lustrabo animæ facultates, & digi-  
tum intendam in ipsam veritatis & falsitatis naturam & effe-  
ctus, & sigillatim certis numeris agam.

### THES. X.

**Ratio I. est : Quia hominis intel-  
lectus, præjudiciis obfuscatus, veri-  
tatem facile supplantat, fal-  
sitatem autem sponte  
secessatur.**

#### §. XXXI.

Exhibit Philosophia rationalis defectus nostri intelle-  
ctus pro singulis ejus facultatibus, qui vel omnes eo rede-  
unt,

---

(c) Buddeus de Atheismo & superstitione. Cap. I. §. XXV. p. 147. & 156.

unt, quod loco scientiæ adsit ignorantia, loco sapientiæ stultitia, loco prudentiæ calliditas. Hæc in hominum depravata indole sic sunt radicata, ut fere connata hæc dixeris via. Hinc sit, ut falsa & erronea accipiat homo, quia res ad felicitatem conducentes, partim anti quata partim vilia habet. Hinc sit, ut parum meditetur circa objectorum & maxime veritatis & falsitatis naturam, sed ea statim admittat, quæ cum passione dominante conspirant. Hinc sit ut facile partim iliaqueetur, partim alios irretire, cupiat.

## §. XXXII.

Sigillatum hominis ingenium, illiusque naturales defectus lustrans, primo statim intuitu deprehendo, quod, pro diversis passionibus hominum, superficiarie pleraque cognoscatur, quippe impatience naturali impeditur, quominus debitum tempus rei cognoscendæ transmittat. Id quod in ter- dum nimia tarditate & hebetudine solet esse coniunctum. A- pud alios tanta est igenii petulantia & luxuria, ut rem ex phantasia sua metiantur. Illaudabilis alios vexat curiositas, pruritus accedit novaturiendi, cum antiqua plerumque sordeant. Millena alia supersunt obstacula, & si unicum penitus protoplastarum accipias exemplum, tota res plane constabit, qua de causa egregie ratiocinatur ABRAHAMUS HEI- DANUS (a) & hinc facilis est applicatio cur falsitates adeo mirifice propagentur.

## §. XXXIII.

Si igenii facultates imaginationem & Phantasiam spe- cetes, mirifice errorum semina ibi deprehendes. Unde quæso Enthusiasmus, Fanaticismus, Chiliasmus? crediderim ex nimio vel languore vel fervore facultatis imaginandi. Cui præterea id accedit, quod illud verum optemus, quidquod! lubenter credamus, quod e re nostra esse censemus, & quod Phantasiæ vanitas nobis repræsentat. Dum itaque hæc ad- judicij

(a) De origine Erroris Lib. I. C. I. §. 6. ff.



judicij amissim non exagitamus, facilis est lapsus ad errores,  
& difficilis via ad veritatem.

## §. XXXIV.

Progediaris nunc ad judicium, fontem & radicem errorum, quælo! quam larga hic est errorum messis? & animum applices ad Præjudicia, quæ omnibus patrocinantur erroribus, veritati autem e diametro repugnant. Ad sunt præjudicia ex intellectu & voluntate orta. Illa sunt præjudicium ignorantiae, nimirum confidentiae & dissidentiae, tædii, præcipientiae, infantiae, autoritatis, eventus, exemplorum, confuetudinis antiquitatis, novitatis, multifitudinis, proverbiorum, famæ, traditionis, receptæ hypotheseos &c. Hæc propullulant ex affectibus & quidem amore & odio, expassionibus prædominantibus ambitione, voluptate, avaritia, quæ omnia fusiæ prosecuti sunt Roetenbeckius, Thomasius, Buddeus, Genzkenius, Treuerus, Autor artis cogitandi, Claubergius, Crosa, Malebranchius, & exemplis theologicis illustrarunt Pfaffius & Barthius (a).

## §. XXXV.

Totus itaque intellectus cum sit corruptus, quid mirum est? Veritates supplantari, quidquod ex hominum cordibus radicibus evelli, & falsitates adeo late serpere. Addere exempla possem, quomodo hæc contingent circa Atheismum, Deismum, singulas hereses, superstitionem & idolatriam, verum qui has enumerat primas causas, facile de reliquis ratiocinabitur effectibus.

## THES. XI.

**II.) Voluntas hominum est depravata, & quia veritas contrariatur affectibus & passionibus prædomini-**

(a) Vid. D. D. I. G. Walchii Historia Logices in Parergis Academicis Lib. II. C. II. §. XXXVIII. & XXXIX. p. 794 ff.

**dominantibus, falsitas autem illas demulcet, hæc facilius propagatur, quam illa :**

S. XXXVI. Voluntatem hominis etiam esse depravatam experientia & ratio abunde docet, minus itaque prosequar, quomodo voluntas agat, & num determinetur ab intellectu, num potius intellectum ad assensum commoveat. Id ex schola Celebr. TREUERI sapio, quod detur imperium intellectus in voluntatem & hujus in illum, & præterea quod detur perpetuus errorum circulus intellectum inter & voluntatem. Cum itaque voluntas corrupta appetit aliquid objectum, semper ferri videtur in bonum, verum tale, quod blanditur afferetibus & passionibus dominantibus. Sunt bona appetenda Honesta Jucunda & Utilia ; verum illa sic appetit voluntas, ut loco honestorum turpia, jucundorum voluptuosa, utilium obscenæ & lucrosa saltem eligat, unde passiones oriuntur, ambitio, voluptas avaritia. Motus præterea adsunt turbulenti, vehementiores, & fere rabidi in objectum, quod vel sensibus gratum vel intellectui acceptum videtur, unde exuberantia affectuum, amoris & odii.

S. XXXVII. Hinc sit, ut veritatem adeo respuat homo; quippe qua ejurare docet voluntatis enormes motus, affectuum impetum & passionum prædominantium astum. Contraria suadet, quæ nec grata, nec præfenti voluntatis naturæ sunt accepta. Quare illud maximum mihi semper pro religione Christianæ veritate fuit argumentum & documentum, quod cum omnibus naturalibus passionibus & affectibus nuntium misericordia, mirifice tamen inter homines fuerit propagata. Divinum omnino hic concelebramus concursum, qui homines eo perducere sua gratia potuit, ut plane sese suaque dona & bona abnegarent, & Spiritus S. curæ sese traderent. Verum nihilominus bene multi superfluerunt, qui veritati obedientiam minus præstiterunt, id quod etiam circa veritatis communica-

C

nica-

nicationem generaliter observandum. Illis ratio fuit, quia veritas illis interdixit cupiditatibus & omnibus illis, quæ pala-  
to ac homini naturali sunt grata.

S. XXXIX. Ne mireris itaque quod veritas vix omnibi-  
locum inveniat, homines agunt ad perversam mentis indo-  
lem, hanc vituperat veritas, fallitas autem concedit laudibus eve-  
hit & splendida encomia addit. Persuaderet certe, quod omnis,  
maxime Stoicorum Philosophia moralis, fastum & ambitionem nec  
non reliqua via suis dogmatibus promoverit. Ast sedulo notes,  
quod fallitas & error non adeo aperte progrediantur; dantur  
pallia vitiorum, sunt involucra, imagines veritatis præ se ferentia.  
Nulla est secta, heres & error, qui non aliquid veri ostentet &  
mentiatur. Cum itaque hominum plerique ex his causis a-  
ctiones instituant, hinc etiam plerique erroribus irretiuntur, &  
veritatem supplantant (a).

### THES. XII.

III.) Veritas ad interiora animi penetrat, fal-  
litas autem superficiarie movet, & sensus  
delectat.

S. XXXIX. Sensus datur veri atque falsi, quem  
cognoscimus ex idea veritatis, quæ accurata debet esse  
conformitas intellectus cum rebus extra mentem positis,  
adeo ut ne punctulum sit residuum, cuius genuinum est cri-  
terium evidenter aut sensualis aut intellectualis. Ex quibus  
consequitur acquiescentia, summa mentis hilaritas, simul vero  
gratissimus sensus veritatis, feneratio cum illa licetissima, nec  
non data occasione, communicatio amicissima. Sane tanta apud  
homines veritate imbutos, solet esse convictio, ut exrema quæ-  
vis lubentius experiantur, quam latum unguem a veritate  
semel

(a) Egregium hujus rei specimen dedit Celeb. G.S. TREU-  
ERUS in dissertatione de Sanctitate vitiorum pallio  
Helmstadii 1725. quo etiam illa spectat de injuriis  
religionis colore exornatis 1728.

semel agnita & professa recedant. Commovet præterea veritas hominem, ut nil agat nisi ad normam voluntatis divinae, prælucet illa in omnibus, actionibus, ut inoffenso pede ad felicitatem pertingere possit.

§. XL. Cum vero tantæ molis sit Romanam condere gentem, sic certe contingit etiam circa veritatem: difficillimum est homini negotium, antequam ad internum veritatis sensum deveniat. Veritas adesse potest in subiecto quamvis efficaciam suam minus exserat ob reluctantes naturales hominum passiones. Ægre quis eo devenit, ut hilari & constanti animo veritatem contra tot impedimenta & errorum insultus defendat. Plerisque veritates sunt aculeatae & morosæ; quippe omni interdicunt libertate sentiendi & agendi, unde evenit, ut non adeo feliciter progrederiatur & propagetur.

§. XLI. Falsitas autem & error cum sit diffimilis intellectus cum rebus extra mentem positis, facilius hic locum inventit. Nam perinde interdum est, quam habeas opinionem: perinde etiam, num unquam in illam debito modo inquisiveris, sufficiat, quod a teneris unguiculis illam jam callueris. Non est opera pretium, ut instituas examen: sunt alii, quibus hoc negotium incumbit: sufficiat, quod scias. Præterea gratissime afficit plerumque falsitas sensus, voluntati adulatur, id quod supra deduxi, sensus vero præcipue delectat, dum sub schematis elegantissimis rem oculis depictam exhibet, aures adeo titillat, ut si reliqui modo addantur sensus, non sit mirum quod etiam ex hoc capite falsitas adeo facile propagetur.

§. XLII. Rem exemplo illustrabo ex religione vera & falsa petito. Illius genuina præcepta eo redeunt, ut DEum intimius cognoscas, illum caste colas, aetiones ad illius voluntatem accurate componas, & post hæc fata i præmia aut poenias expectes. Hæc cum sint simplicia & vere divina tanta pollent efficacia, ut homo his non solum convinci, sed, etiam affluenter delectari possit. Sed vide, quomodo hæc dogmata erroribus sint circumsepta? Exhibit Idolatria DEum, sed in tot DEos & DEas divisum, ut vel quilibet pagus peculia-

culiares sibi constituerit penates & lares , ratio: ut quilibet manibus & sensibus palparet suos DEos , & eo considerior bonum exspectare posset , quia difficultis res est , DEUM intima abstractione , pura mente , & sine imagine colere ; Sunt homines sensibus asueti , & hinc error facile propagatur . Mittam sapientiorum insipidos circa hoc caput errores de Hylopatismo &c. quæ fane omnia eo redeunt , ut sensus delectentur .

§ XLIII. Alterum caput de cultu , DEO exhibendo , & etiam illud de compositione actionum ad voluntatem divinam adeo mirifice est detortum , ut vix crederes , homines fuisse , qui adeo in contrarium iverint . Advertas modo excessum in cultu gentilium , quomodo animus ad mere sensibilia , pomparam , & simulacra fuerit alligatus , de interno autem cultu nisi habuerint , quomodo totus cultus in splendidis & operosis exercitiis constiterit , quomodo sacrificuli mediatoris personam induerint , & misere populum deceperint , qui tamen huic cultui fuit intensissimus , & pro aris ac focis illum defendit . Vide excessum plerorumque Philosophorum in Philosophia morali : Stoicorum fastum & superbiam : Aristotelicorum spurios de mentis abstractiva contemplatione conceptus : Platonicorum Enthusiasmum : Epicureorum enormes in moribus defectus , & ex Hæreticis unicum Gnosticorum pudendum exemplum ; nihil minus tamen , quia pleraque in sensus incurrebant , applausum inveniebant . Mitto illa , quæ de animi post hæc fata statu homines commenstatati sunt .

### THES. XIII.

IV.) Veritas norma actionum constitui vult , falsitas autem passionibus dominantibus locum cedit .

§ LXIV. Officia Veri omnibus in cùmbunt , adeo , ut nulla actio , quidquod nullus conceptus sit genuinus & bonus , nisi ad veritatem sit compitus . Nihil est Pium , Honestum , Ju-

stum

sum, Decorum, nihil utile nihil jucundum nisi ad veritatis amissum sit dimensum. Tribunal hic est constitutum: rigorosa lex & accurata observantia, ac executio. In omnibus itaque sententiis & actionibus illa prima est quæstio: An sit Verum, id est: an conceptus aut actio conspiret cum evidentiâ sensuum & rationis; cum forma & norma Juris naturæ & legum divinarum, & an veram introducant felicitatem, adeo, ut ab hac norma ne latum unguem discedere possimus.

S. XLV. Verum nunc divergia videbis: vix de veritate circumspiciunt homines, plurimi ex consuetudine agunt, ex solvuntur officia pii non ex interiori animi restitutidine, sed pro ritibus in hoc vel illo cœtu receptis. Adsumt externa virtutum exercitia, quæ tamen simulacra sunt & splendida via, animus ab illis est remotissimus, & vix cogitat de norma veritatis, de voluntate divina & compositione animi ad illam. Exsolvit hæc officia, voluptuosus splendido apparatu, & ceremoniis unice delectatur & præterea spectatum venit, venit, spectetur ut ipse. Exsolvit hæc ambitiosus ne irreligiositatis & Atheismi illi inuratur nota. Exsolvit hæc avarus partim ex consuetudine, partim ex metu, & vix aliquid temporis his officiis sincere transmitit.

S. XLVI. His omnibus patrocinatur falsitas, quæ cujuslibet genio & ingenio hæc omnia relinquit, si modo actio externum habeat splendorem, sufficiat si modo civis illa expediatur, quæ ex pacto debet, & hinc superstitio summa, hinc tot errorneæ sententiaz circa cultum, nec non integrum religiōnem. Ne mireris, quod vel millenæ cultus externi formæ & species sint, quia homines hic non agunt veritatis & virtutis amore, sed ex passionibus, affectibus dominantibus, ex imitatione consuetudine aliisque deperditis rationibus. Falsitatem etenim cum sint innumerae, tot etiam actionum normæ solent constitui. Qua tamen omnes & singulæ sic sunt compositæ, ut homini adulentur, & felicitatem affectando, summas afferant miseriam; id quod effectus & eventus satis doceat.

C 3

THES.

## THES. XIV.

V.) Veritas paucitate exemplorum, falsitas insigni gaudet numero.

§. XLVII. Veritas cum ita sit comparata, ut interne moveat, & non nisi summo studio ac labore abs hominibus paretur, certe pauci animum ad illam appellant. Hæc enim est naturæ humanae depravata indeoles, quod extreme illa fugiat, quæ aliquid negotii facient, Natura sumus leves circa veritatis cognitionem, leviores circa examen, levissimi circa applicationem. Præpedimus adeo multis obstaculis, & certe non cuvis licet adire Corinthum. Unde evenit, ut adeo pauca sint veritatis exempla. Exspirasse nonnunquam plane visa est veritas; fuit tempus, quo vix theologica superfuit inter homines veritas, cum hominum plerique sese idololatriæ mancipaverint. Fuit ætas, qua omnis Philosophia occulta jacuerit, ut quicquid residui, inscriniis abditissimis terminorum scholasticorum bene latuerit. Illa etiam a Papicolis solet, Nostratibus objici spinosa quæstio, ubi ecclesia subtyrannico Paparum fuerit regimine, cui autem argumento præter alios innumeros vel FLACIUS solus occurtere potuerit.

§. XLIX. Paucitas itaque exemplorum animum plerumque stimulat, ut relicta veritate plurimis nos associoemus. Memoria subvenit exemplum, ex Bibliis desumptum, nempe ex Joh. XVII. v. 47. & 48. ubi Pharisæi stratiotas suos sine Christo captivando redeentes sic alloqvuntur: Seid ihr auch versöhret? glaubet auch irgend ein Obrister oder Pharisäer an ihn: quod argumentum eandem post se relinquit efficaciam, ac giganteum illud autoritatis præjudicium: Periculofum itaque est, veritati nomen subscribere, quæ omnium odio est exposita. Memini quod eadem ratione cum virtutum exemplis sit comparatum. Pauca sunt virtutum genuina paradigmata, & hinc fit aberratio, cum plurimi exco impetu plurimos se extentur. Ubique illud etiam addiderim, quod illi, qui exempla veritatum exhibent, sint nonnunquam vilioris & abjectioris conditionis, non nun-

nunquam ex infima hominum sorte , id qvod multos impedit, qvominus huic abjecta turbæ fese asscent. Exemplum habes in persona Salvatoris, & Apostolorum, quod hanc deductionem accuratius æque delineare ac confirmare poterit :

¶ S. XLIX. Falsitas autem abundat exemplis, cetera & nubes testium pro falsitate est. Quidqvod martyria producunt, miracula fingunt, antiquitatem & proscriptionem prætendunt, divitiis & potentia eminent, pietatem singularem affectant, & felicitatem sine labore per compendia exhibent, Machiavellismo utuntur &c. Ille itaque qui novit, quantum efficacia exempla habeant splendida, facile dabit, multitudinem errantium alios alliceret, & multum laboris esse præjudicium multitudinis superandi. Quare non inter simplicissimas hæc est referenda causa, cur errores facilius, quam veritas propagetur.

### THES. XV.

VI.) Propagatores falsitatis malis utuntur artibus circa errorum communicationem & propagationem.

S. L. Historicum hoc est argumentum , quare ex historia etiam explicandum , ubi tamen generalia observes. Veritas cum sit simplicissima & planissima, eadem etiam ratione propagari debet. Hinc virtutes docentis luculenter Recentiores Logici exposuerunt, qvorum inter sufficiat allegasse Thomasum, Buddeum, Gentzenium & præcipue D.D. AEPINUM in Logicæ P. II. Sect. XI. C. X. Præter qyas adamante has notandas velim regulas. 1.) Docens veritatem non ad hominem , sed hominem ad veritatem accomodare debet , 2.) Methodo utatur simplicissima ad ingenium auditoris comparata. 3.) Per dogmata ad veram felicitatem auditorem ducere satagit. 4.) Emendet intellectum, & voluntatem ad obsequium flectat, 5.) Prius extirpare nitatur errores , qvam alia superstruat dogmata. 6.) Superbiam omnibus hominibus connatam & ex philautia ortam exterminare omni-

bus annitur viribus. 7.) Finem non solum possibilem, sed maxime probabilem constituat & optima ac [faci ia] suppeditet media, 8.) Sint hæc domestica nec extra hominem & e longinquo petita:

§. LI. His præmissis examinet nunc æquus lector, num hæc falsitatis propagatores observaverint? Nam veritatem ad homines ac commodabant, & hominem non ad veritatem. Sume tibi Aristotelem, quem sane nisi ignorantes plane sint, omnino magni faciunt, & inter Philosophos saltem non infinitum assignant locum. Erat fulgidissimus Alexandri Magni Praceptor, vir auræ aulicæ assuetus, temporibus apprime inserviens, hinc multum in Philosophia dabat affectibus, unde tot defectus in illius Philosophia moralis. Quid quæsio sunt illius semivirtutes, mediae, & heroicæ? Sane a conditiōne hominum hæc desumpsit, cum virtus non nisi sit unica, & in puncto consistat. Malæ fuerunt omnino artes, quibus maxime illius sequaces usi sunt, & hinc habeas causam, cur Aristoteles adeo diu Monachiam Philosophicam exercuerit.

§. LII. Vide si methodum plerorumque Philosophorum, Symbolicam Agyptiorum, ænigmaticam Pythagoreorum, & multas alias, quomodo hæc fuerint errorum & falsitatum pallia, nihilo tamen minus ob splendidam imaginum superficiem admiratores & sectatores bene multos numerarunt. Observes circa plerosque Philosophos veteres, num per dogmata sua veram procurare voluerint felicitatem, unde tot dissensiones de summo Bono. Plerique animam curabant, & abstractiones pro summo reputarunt fine, corpus minus curabant, machinam & mali habebant materiam. Vide hujus rei exemplum apud Aristotelicos, quod (a) S.R.D. BURGMANNUS ex hibuit, apud Stoicas (b) BUDDEUS, & apud Platonicos (c) COLBERGIUM:

§. LIII.

(a) In dissert. de idea Systematis Phil. generali §. VII.

(b) In tribus dissertationibus de erroribus Stoicorum in Philosophia moralis, quæ existant in Analectis Phil.

(c) Im Platonic-Hermethischen Christenthumb.

S. LIII. Quis quæso Philosophorum operam dedit, ut prius eradicarenter falsitates, vitia, & præjudicia, homini quasi connata, antequam dogmata ad felicitatem superstruerent, sane vix ullus. Aristoteles summum bonum constituebat in operatione secundaria virtutem optimam & perfectissimam, sed quæso, ubi est idea istiusmodi virtutis residua, a quo exemplari erit desumenda? Crediderim, & persuaderem omnino, nullum ad virtutem operari posse, nisi summa felicitate mentis jam gaudeat, quippe virtus non est medium ad illam, sed potius illius effectus. Reliqui Philosophi ad exercitia externa omnia exquisite attemperabant, sed vix deprehendere licet unum vel alterum qui docuerit, animæ defectus esse exterminandos. Plerique potius animam divinæ auræ particulam habebant, & corpus omnis mali machinam. Qualis demum erat finis Philosophiæ gentilis? vel assimilatio DEI, vel *antheosis* plenaria, vel honesta, seu splendida potius, & a vulgo discriminata actio.

S. LIV. Hæc βδελύματα qui penitus introspicit, omnino deprehendet, quod sint satis splendida, & eo omnino attemperata, ut animem quasi magnetica vi attrahere valent. Quibus etiam hoc accedebat, quod sectarum autores malis artibus autoritatem sibi conciliarent tantam, ut nomina illorum luminibus & numinibus post fata adscriberentur. Addas his omnibus, quomodo malas suas artes contra veritatis objectiones diluere fategerint quomodo illam conviciis summis prosciderint: Habeas exemplum in pagano obrectatore KORDTHOLTI. Nec vi externa uti oblitii sunt, & ferro ac flammis opiniones falsas propagare haud erubuerunt: Habeas exemplum in principiis Papatus malefanis. Curiosum demum, quod, propter veritatem mentiri, licitum esse multi falsitatis patroni autumaverint, quod eleganter præter alios docuit S. R. Abbas MOSHEMIUS (a). Quomodo superstitionis

D

tionis

(a) Dissert. de Turbata per recentiores Platonicos ecclesia §.  
XXIII. ff. Helmst. 1725.

tionis conditores sua placita & falsitates statum inaverint, exhibet DN. G. S. TREUERUS (b) & quomodo sanctitate tanquam vitiorum pallio usi sint idem (c).

## THES. XVI.

VII.) Propagatores veritatis in communicando veritatem, optimis & simplicissimis incedunt mediis:

S. LV. Criteria boni docentis quando ex præcedenti repeteo, facilis mihi est applicatio. Illustrabo autem causam ex historia religionis Christianæ. Cujus doctores sub auspiciis muneric sui hunc sibi præfixum habebant scopum, ut dogmata introducerentur ad salutem, & hominum natura his fieret conformis. Quare nec affectuum nec passionum ratione habita omnibus, & singulis sine differentia, SPIRITUS S. gratia collustrati, veritatem proponebant, methodo utebantur, tum temporis recepta, Parænetica, sic tamen, ut PAULUS profiteri apertius possit. ὁ λόγος μεσούργειος μη εἰπεὶν ἐν ταῖς αὐθεωπίνης σοφίας λίγοις, αὐτὸν διποδεῖς πνεύματος καὶ δυνάμεως (a).

S. LVI. Felicitatem intendebant internam, putationem cum DEO, & externam in conspectu DEI cum proximo obtainendam. Intellectum divino jubare & divinis dogmatibus imbuebant, ut largissimus effectus redundaret in voluntate.

(b) In Dissert. de Superstitionibus conditoribus & propagatoribus.

(c) Dissert. supra citata: a quo ex promissio adhuc exspectatur disputatio: de ignorantia & errorum palliis ejus, sic prob recordor, mentionem aliquando ad fecit.

(a) 1. Cor. II. 4.

voluntatem, quippe σωφρόνως καὶ δικάως καὶ ἴστορῶς vivere εἴηνταν αὐτοὶ suos instituebant. Quare veterem hominem exxere, & novum induere impensis suadebant, Philavtiām eradicabant, & ad hunc finem optima, quippe divina suppeditabant media & adminicula.

§. LVII. Hæc quamvis sint altioris indaginis, illustrationis tamen loco mihi sunt, quomodo omnis veritas debet at & possit propagari. Et super sunt etiam paradigmata ex historia æque veteri ac recentiori, quomodo naturales veritates ejusmodi ratione fuerint propagatae. Et si etiam non restarent, modus tamen & exemplar inde desumi potest quomodo veritates sint propagandae. Verum cum hæc methodus paucissimis hominibus ad palatum sit, desinas quæso mirari, qui fiat, errores facile, veritates difficulter propagari.

### THES. XVII.

VIII.) Veritas viam quidem ad felicitatem pandit, sed falsitas idem agere videtur:

§. LIX. Ex veritatis principiis actionem institutam ad felicitatem viam pandere, res est clarissima. Quippe certum, quod a principiis intellectus omnis dependeat actio. Nulla datur felicitas nisi sit vera, id est habens essentiam sibi debitam & communicative bona sua in omnes ac singulos transfundens. Hanc autem felicitatem cognoscere homo satagens, deprehendit illam in summo Numine, illiusque intimiori unione, ex qua redundat summa anima tranquillitas, & reliqua attributa, quæ hominem felicem & summe beatum reddunt(a). Verum non sine labore ad hunc devenimus scopum, tot impedimenta felicitatis sunt, quot in homine defectus. Præterea quamvis Veritas luculenter viam ad felicitatem monstret, cuivis tamen minus licet, ut supra jam posui, adire Corinthum. Via spinis est obsita, patien-

D 2

eligere

(a) Excellent. G. S. TREUERUS in Oeconomia Systematis moralis Atheorum Cap. II. §. VI. Helmst. 1728.

tia opus est , labore & constantia . Hinc evenit , tam paucos eligere hanc ad felicitatem viam . Huic accedit quod felicitas homini paretur , quæ mentem , corpus & statum exterrum feliciorem reddit . Verum paucissimi mentis curam sustinent , in eo lubentius acquiescentes , quando fortunæ avaram capessere possunt .

S. LIX . Sed & nos poma natamus ! falsitas idem mortitur felicitatem crepat , *εὐχετούσις* , voluptatem , honorem , aurum argentum affert , quæ sunt argumenta commoventia & conciliantia , quæ Herculeum etiam animum superare valent . Et præcipue si digitum intendas in gentilium Philosophorum falsa dogmata , omnino deprehendes , quod ambitione fax ex tuba illis fuerit , & quod maximum persuasi fuerint : Summum Bonum suis dogmatibus & speculationibus acquiri posse . Videas attributa , quæ Stoici a Sapiente suo requirebant , quam insignia splendida & divina comparent , inania tamen sunt : nihilominus catervatim assumebantur , quanvis alii illa riderent : (a)

S. LX . Contempleris quæso , qui fieri potuerit , ut Cynicorum sordida dogmata locum invenerint ? quod Gnosticorum , Carpocratianorum &c. horrida dictu admiratores tamen invenerint . Sane viam ad felicitatem sese omnium optimam & certissimam designasse videbantur , & quidem , quam homo levi adhibita opera poterat assequi , & ubi licitum erat , omnia vitiorum genera prono impetu sectari , gratam palato voluptatem prosummo bono constituere . Nec ulla est adeo falsa religio , quæ non summam constitutam felicitatem . Nullum superstitionis genus , quod non bona largiora post hæc etiam fata largiter promittat . Hinc faciliter argumenti ad thema applicatio .

### THES. XIIIX.

IX.) Difficilis itaque via per veritatem , facilior per falsitatem hominibus videtur .

S. LXI.

(a) Celeb. Frid. GENZKENIUS Histor. Phil. p. 113 & hypocrisi illorum depinxit HORATIUS Lib. II. Sat. III.

¶. LXI. Cum homines ex affectibus & predominan-  
tibus passionibus plerasque & fere omnes suscipiant actiones,  
legum sunt impatiens, difficulter normae inharent,  
& cum sibi blandiantur, quod omnia in melius restaurare  
valeant, hinc normam sibi feligunt, inclinationibus suis na-  
turalibus apprime congruentem. Veritatem molestam & mo-  
rosam habent plerique, cuius gratia id, quod gratum, exu-  
ere, nequaquam possunt. Novitatem illis spirat veritas, cum  
tamen sit antiquissima. Malunt cum multitudine erranti-  
um progredi, quam imaginariam felicitatem cum  
veritate commutare. Virtus illis est res ardua & difficilis,  
& cum haec in veritate radicetur, id est in genuina compo-  
sitione animi ad voluntatem divinam hem i quam molesta  
est causa? passionibus nuntium mittere, & affectibus dicam  
scribere.

¶. LXII. Facilius tamen & jucundior via est, vel vide-  
tur saltem per falsitatem, ut pote quæ pauca a Viatore exigit,  
peregrinanti sublevamenta, porrigit animumque adeo corro-  
borat, ut integer & sospici maneat. Exempla præ se ferunt  
antecessorum, qui in hoc tramite constanter perseverarunt,  
& saltem non infelices fuerunt. Periculosa res videtur, viam  
a paucis calcatam omni animi applicatione sectari. Nihil in hac  
via metuendum a periculis, impedimentis, regia creditur,  
quæ ad arcem felicitatis inoffenso ducit pede, via.

¶. LXIII. Si fortean objicias, quod aspera & spinosa  
etiam sit via per falsitatem, e. g. quod gentiles constricti fue-  
rint tot ceremoniis, lotionibus, sacrificiis, corporis cruciati-  
bus, jejuniis, quæ affectibus & passionibus sunt molestissi-  
ma. Hinc probe notes velim: quod haec omnia, quicquam  
habuerint, quæ affectibus gratissima, & Philavitaæ hominum  
accepta fuerunt. Sume tibi molestissima jejunia, quæ multi-  
tanta patiebantur fortitudine, ut exanimes fere ab hoc exercitio  
recederent. Verum! sic compescebatur materia, causa illa  
omnis

omnis mali , sic imaginarius Spiritus divinus , & particula decerpta DEO sese purgare poterat a quisquiliis & sordibus corporis , & sic mens in essentiam divinam redire poterat (a): Erroneus plerisque insidebat conceptus , de assimilacione DEI , plerique materiam , omnis mali originem , habebant animam autem in carcere materialē esse detrusam , & hinc eluctari debere , per ejusdem exercitia , quid itaque facilius quam felicitatis hostem subjugare , & sic adspirare adipacem?

§. LXIV. Memini fabule , quæ Herculi lusa a Virtute & Voluptate , & maxime in hujus persuasionibus etiam deprehendo , quod faciliorem viam ad felicitatem sit promissa . Virtus tamen non adeo , quæ labores suscipiendo , conflictus exsuperando vaticinata erat . Ex qua re egregie thesis mea confirmatur . Revera autem via per veritatem ad felicitatem non est adeo difficilis , quemadmodum depravata hominum phantasia illam sibi representat , facilis bene esset , si modo a nostra parte omnia farta , tecta & integra essent :

### THES. XIX.

X.) Mediis utitur veritas optimis falsitas autem partim spuriis , partim splendididis.

§. LXV. Supra de veritate nuda & simplici egi , nec non de methodo Doctorum , qui vel veritatem vel falsitatem sibi propagandam sumferunt ; ad ipsam veritatem in genere nunc digitum intendam , quæ utitur optimis mediis : & quidem Veris . Id est : dicit nos ad obligationem , quam DEO debemus in cognoscenda & applicanda veritate . Nam cum ille sit omnis veritatis autor , omnino etiam voluit , ut illam inquireremus , & in nostram converteremus felicitatem : quippe axioma hic firmum stat . Fac ut sis felix in examinandis illis veritatibus , quæ DEUS cognoscendas

(a) Vide BUDDÆI Exercit. Hist. Philosoph. de καθηρει Pythagorico-Platonica in Analeclis p. 363.

das tibi exhibuit. Præterea omnem rem penitus , solide & perfecte inquirere docet , & ex hac inquisitione praxin instituere.

§. LXVI. Piis etiam incedit mediis veritas , cum omnes veritates eo vergant , ut sensus & cultus DEO exhibeat debitus. Veritas enim est operosa , quæ positis principiis introducere statim molitur praxim. Tota vero nostra actio in omnibus objectis est compositio animi ad voluntatem divinam. Hinc obligatio nostra conspicua: Sunt media pia , & Pii officia etiam introducunt. Accedunt etiam Honestia , quæ Veritas adhibet , quorum vi ad internam animi rectitudinem adigimus , adeo ut nil vel credatur vel agatur , quod cum illa tantillum pugnat. Tendunt certe eo veritates , ut omnes actiones instituere discamus ex animo honesto. Justa , Decora , utilia , Jucunda sunt media , quæ facile quis sapientia gnavarū advertit.

§. LXVII. Falsitatis autem nunc & errorum videoas media , quæ partim spuria partim splendida. Spuria sunt , liceat termino comparativo uti , cum nec ex animo pio & obligatione erga DÆum profiscantur , animus adest , præjudiciis fascinatus & omni erroris genere imbutus. Cum non propter Honestum appetantur res , sed propter ambitionem , non propter Jucundum sed propter voluptatem. Non propter utilitatem sed propter avaritiam. Fiat nunc applicatio. Contempleris quæso plerorumque Philosophorum affectatam omniscientiam. Vide quam splendide Philosophi & Sophistæ nec non Rethores mentiri potuerint ? quali Syrmatæ & splendida pompa merces vendibiles exposita ? Ne vero falsitati larva detraheretur , optimo sed fucato colore errores incedunt. Sophismata splendida ostendunt , sub specie religionis pleraque agunt. Honestum prætendent animum , elegantes nonnunquam affectant mores Gratum sensum secum ferunt. Ast sunt omnino splendida verum spuria media.

### § LXIX.

§. LXIX. Cape exemplum ex Syncretismo philosophico &que ac theologico. Falsitati adduntur restrictiones, limitationes, aliis & quidem ortodoxus sensus, si quid periculi dogmatibus erroneis in esse videtur illud extenuatur, emolitur, melius explicatur, bona intentio laudatur, cognitionis imbecillitas prætenditur, unam quidem esse rem, multiplicem tamen modum cognoscendi, in verbis saltem esse difensem, homines esse haeretices, qui innocentibus bellum propter levissimam indicent causam. Retrospiciens ad secundum jam post Christum natum seculum, a Neo-Platonicis luculentum possum capere exemplum. Vide quam egregie Philosophorum veterum nonnulli tegere potuerint errores, adeo ut beatitudo illis fere fuerit vindicata. Qua de causa omnium instar elegantissime egit S. R. D. Abbas MOSHE-MIUS dissert. cit.

§. LXIX. Homines itaque cum sint, facile his mendacibus splendidis inducuntur. Memini, quod celeberrimus quidam Nostrarium Theologorum de famigerata quadam facta pronuntiet, quod tribus L. Symboli loco utantur, nempe: Legion, Lastern, Leugnen. Id quod sane circa omnem falsitatem fere contingit, efficaciores sunt errores apud depravatos homines quam veritas. Splendidiora quamvis minus solida, falsitatis quam veritatis media :

## THES. XX.

XI.) Exercitia veritatis sunt rariora falsitatis autem frequentiora & splendidiora.

§. LXX. Veritas occupatur, circa omnes illas res quæ in nostram felicitatem influxum habent, & cum inter illas etiam minima reperiantur, eandem applicationem & industriam exigit ibi veritas, ac in rebus maximis. Præterea simplici ratione sine ulla affectatione & ostentatione Veritas circa rem occupatur, acquiescens libenter, quando scopum possit.

possibilem & probabilem obtinuit. Constanter etiam rei in  
haeret, & hac semel cognita ab illa ne latum unguem di-  
scedit. In pectore etiam veritas potius domicilium occu-  
pat, quam in foro.

§. LXXI. Limites simul cognitionis veritas suppeditat,  
& multa adhuc superesse deprehendit, quæ supra nostrum  
captum sunt posita. Applicat demum genuinus sapientiae  
cultur veritatem omni data occasione, tanta tamen modestia,  
quanta unquam fieri potest: Prudentia insimul utitur circa  
veritatis communicationem, terquam nimirum adhibet dictio-  
nem atque nitidam methodum optimam, non autem omnibus  
demonstrations affectantem. Efficaciter se movet ad commo-  
vendum, nunquam vi externa, ferro & flammis utitur. Hæc  
sunt pleraque veritatis exercitia, cape tibi nunc exemplum  
a primitivæ ecclesiæ doctoribus, quam pie veritatem exer-  
cuerint.

§. LXXII. Opposita nunc juxta se posita eo magis  
elucescunt. Splendida & frequentiora exercitia præ se fert  
falsitas. Minima hic non curat Prætor. Rerum divinarum  
& humanarum est Philosophia scientia, vide superbiā:  
nam ex Philosophorum Græcorum fastu hanc esse ortam defini-  
tionem per suadeor, quamvis quadanterus fano in sensu possit  
explicari: Theoretica digniora videntur Pseudo - Phi-  
losopho quam Practica, dum hæc vulgo sunt relicta. Me-  
taphysica e. g. est omnium scientiarum Regina, quæ reliquis  
palmam præripit. Abstractionibus, contemplationibus,  
speculationibus Ideificationibus delectari, res est digna Phi-  
losopho. Mens evehitur a rebus sensualibus & ad divina  
unicè evehitur. Turgida & generofior videtur methodus,  
quæ ut splendida sit, appellatur divina, encyclopædia, au-  
tifodina, Ars artium, ars magna, demonstratio, & metho-  
dus mathematica. Res nulla superest in rerum universo, quæ  
non ad modulum nostræ cognitionis examinari & exauriri  
possit! Tanta confidencia obtruditur opinio quanta impu-  
dentissimus solet, quæ tamen vix possibilis gradum habet.

E

§. LXXIII.

§. LXXIII. Restant plura falsitatis exercitia : Erroneam sententiam cum erronea commutare minus pudet. Divinas etiam nonnunquam crepat falsitas inspirationes. Ubivis locorum protruditur tanta cum superbia & ostentatione, ut montes parturire videantur : Omnisium præterea deceat esse Pseudo-philosophum, sesquipedalia verba eructantur. Calumniare præterea audacter, semper tamen aliquid habet, hamo etiam capiuntur pisces, & si desunt vires, agitur cuniculus, si adsunt, ferro & flamma falsitas propagatur, maxime spiritus persecutionis ejusmodi homines vexat & exercent, ut continuo vociferationibus & persecutionibus veritati repugnat, & quidem ardor furor & fervor pro DEO & patria suscepimus videtur.

§. LXXIV. Hæc sunt exercitia & splendida falsitatis via. Nunc arrigit Pamphilus aures, hiante ore surgit Davus, Omnia ex tripode dicta sunt. Cum itaque homines his larvis detineantur, & his spectris se illudi patientur, desine mirari: falsitatem facilius propagari quam veritatem: scruteris nunc quæso genium vulgi, & vide, quomodo his exercitiis mirum in modum delectetur, a veritatis autem placidis exercitiis plane abhorreat. Intimus specter muliebrem plerorumque hominum animum, quam facile his fascinis irritatur. Siste tibi Juvenum indolem, qui ejusmodi assident diligenter Doctoribus, sputum illorum lambunt & horum infistere vestigiis honorificum habent :

### THES. XXI.

XII.) Adminicula adveritatem ardua, adfalsitatem vero facilia & commoda habentur.

§. LXXV. Veritatis dantur adminicula, quæ partim a nobis met ipsiis, partim extra nos proficiuntur. Illa sunt sedula applicatio, viva objecti representatio, constantia nullius difficultatibus interrumpenda, ardor in extinguisibilis scrutandi & ulterius progrediendi, otium abs rebus aliis, amor erga

veritatem

veritatem, continua actio &c. Extra nos sunt adminicula: optimorum librorum lectio & conservatio, viva & solida doctorum institutio, conversatio cum viris eruditis, peregrinatio erudita, continua experiendi alacritas, observatio Phenomenorum perpetua:

§. LXXVI. His omnibus falsitas indiget, & saltem non eadem utitur ratione, quippe cum homo infantus & auctoratis sit præoccupatus præjudiciis, minus animum ad rem applicat, sed hic, sic ille scripsit, a cuius dicterioris discedere nefas est. Objœcta præterea felicitatis multa involuta palliis vive sibi nunquam repræsentat, sed superficiarie cognoscit, fluctuat animus perpetuo, languescit, alget, alias negotiis impeditur, librorum lectioni minus vacat, aut quo minus legat a falsitatis doctoribus impeditur. Parum requiritur a falsitate, sufficit, si in tramite calcato subsistas. Doctorum equidem adest institutio, sic tamen comparata, ut quid proponatur, cum præjudiciis instilletur, si deo nonnunquam sufficit carbonaria, & cognitio implicita, stratagema est doctorum, ne peritor discipulus quam Magister ipse evadat. Impediunt idem ne aliorum sequentium discipuli scholas, monopolum sibi comparant, argumenta ab odio ducunt. Et cum torpor homini quasi naturalis, haud curat animus res extra se positas. Exemplis hæc omnia ex Papismo & gentilismo petitis luculenter illustrare possem. Verum prudens lector facile invenit etiam ex hoc momento, quomodo falsitas veritati palmarum præcipiat.

### THES. XXII.

XIII.) Veritatis præmia homini non sunt adeo grata quam falsitatis

§. LXXVII. Præmia veritatis mintis splendida sunt; quippe consistunt in solida scientia rerum ad felicitatem pertinientium, sapientia seu dijudicatione rerum bonarum, ac malarum, prudentia, seu modo communicandi & defendendi,

dendi veritates. Ex quibus enascitur vera eruditio, & applicatio illius ad felicitatem, in qua homo subsistit, intima gaudens, animi tranquillitate, sufficientia utilium rerum. Hæc veritatis dogmata tendunt in offenso pede ad applicationem, quæ adeo grata est, ut omnes nobis rea conciliet. Gaudet homo de illis, commendationis summa instar sunt. Adspirat etiam per illa ad horaoris & vita felicis fastigium. Sapientis demum Philosophi, Theologi &c, nomen & omen sustinere potest.

S. LXXIX. Verum vix decimo hæc omnia ex voto contingunt: quem admodum Virtus friget, sic etiam Veritati evenit. Non omnia locorum veritas hospitium invenit, honores sunt parcii, gradus sublimes, Paupertas plerumque veritatis subinde comes solet esse. Hinc fit, quod odium veritas pariat, martyres nonnunquam pro veritate dantur. Vide imagines Apostolorum, & ex historia phil, vel unicum Petri Rami exemplum funestissimum. Contendunt invicem Veritas & falsitas, hæc eo nititur, ut illius supprimat caput, & illam radicem extirpet.

S. LXXX. Falsitatis autem videntur & sunt præmia eximia, & splendida. Hominum captatur benevolentia, honoris culmina attinguntur, medio digito monstratur, & dicuntur hic est. Quietè, otio, & pace abundat, imaginaria gaudet felicitate, omnes affectus & passiones prædominantes hic sitim ex plere solent. Paucis: nil deest illi ad summam felicitatem, & fieri perfectionem.

### THES. XXVII.

Supersunt alia hujus rei argumenta sed in præsentiarum hæc sufficiant.

S. LXXX. Sane vix exhaustiri hæc causa potest, efficacia est errorum pro subjectorum varietate mirifice diversa. Ideam itaque hujus rei saltem exhibui, & prolixius exemplis inhærente potuisse, nisi limites academicæ exercitii trans-

transgredi, minus commodum mihi fuisset visum: Mireris itaque saltem mecum sub fine, nihilo tamen minus veritatem contra falsitatem hoc usque in diem superesse; scruteris. causam, & luculenter palpabis, quod providentia divina circa Veritatem omnem largiter sit occupata. Hinc confidentius veritatis defendendæ spartam in te suscipes: & contra falsitatem doctores bono cum DEO obtinebis. Fac de-  
mum continuam hujus causæ applicationem ad præsentem religionis nostræ genuinæ statum & conditionem, quam equidem tenuem & afflictam tot factis invenies, quæ tam-  
en, cum sola & unice vera sit, subprovidentia etiam divina sar-  
ta & integra perficit. Vale benevolè lector, & faveas te-  
nelliis nostris conatibus. DEUS autem in omnem nos  
clementer deducat veritatem, ut felicitatem obti-  
neamus omnigenam, & optimo  
gaudeamus.

## FINE.



CLARISSIMO ATQUE ORNATISSIMO  
**DOMINO LÜDERS.**  
AUDITORI & AMICO DILECTISSIMO,  
S. & O.

JO. CHRISTIAN BURGMANN, D.

**P**essime se aliosque traducunt, qui, dum annos irreuocabiles, menti in Academiis perpolienda bonisque literis excolendae destinatos, tam negligenter perdunt, quam comportionibus vanaque cum sexu sequiori consuetudine consumunt, testimoniis publicis a doctoribus suis vel blande emendicatis vel callide extortis, desperatis rebus suis subuenire se posse, credunt. Quid etenim aliter luctantur, quam, ut, glaucomate suis obiecto, animum ad quævis mala obfirmit, adiumque sibi ad honores vel omnino präcludant, vel difficilem falem redditant. Suarum melius fatigunt rerum, qui, præstigiis istis damnatis, vitae genus litteratum decens consequuntur, laudemque, quam ambire quandoque si ne crimine licet, operis laude dignis acquirere sibi connituntur, nil intentatum relinquentes, quo animus subigatur, & ad præclara quaque formetur. Doctrina namque & virtus adscito colore non indigent, sed nativa dignitate se commendant, & non minus quam faces accensae suas emitunt scintillas, quae aliorum animis repente se insinuant, eorumque adfectum & præconia vitro elicunt & in nos derident. Ipse hoc non dissimulaveris, CLARISSIME DOMINE LUDERS, qui eo plura aliorum elogia, eoque

eoque ampliorem semper adfectum TIBI conciliaasti  
quo diligenter & modester in patria sive  
in hac Vniversitate TE exhibuisti. Ea enim lauda-  
tissima TIBI sedet opinio, non ementitis suffragiis, sed  
propria doctrina & virtute laudem parari veram :  
quam vt alias, ita & in Collegiis variis, tam Philoso-  
phicis quam Theologicis attentione & sedulitate Teu-  
luculenter mihi significasti. Nil itaque subiungan-  
dum esse reor, quam , vt TIBI Praefide Praecellen-  
tissimo DOMINO M. TWIETMEYERO , Fautore  
& Amico meo iucundissimo, cui studia Tua tam pro-  
paedeumatica quam altiora plurimum debent, cathe-  
dram consensu Academicam, animitus gratuler, &  
successum propositi adprecer exoptatum. Faxit su-  
prenum Numen, vt a sedulitatis, veritatis & virtu-  
tis tramite nunquam deflectas, quo Ecclesiae praefi-  
dio, Tuisque solatio aliquando existas. Scribeb. fe-  
stinantisime d. x. Julii A. C. ccccxxx.

---

**Q**uantos jam TIBI quæsieris clarissime LÜ-  
DERS

Doctrinae flores, pagina docta docet:  
Quod vera a falsis acriter discernere possis  
Quam confecisti, pugna aperit, solide.  
Virtutem talem næ! præmia lauta manebunt,  
Dextra quæ larga Jova parata dabit.

Hec præstantissimo Dno. Respondenti  
gratulaturus scripsit

M. C. H. EYLLER.

F

Ioh

**E**herinnre wehrter Lüderß mich sehr offte jen  
ner Jugend,  
Welche ich in Lunæburg hab vergnüglich zugebracht,  
Wo vornehmlich DEINES Vaters Liebe und  
der Mutter Zugend,  
Sich umb mich als einen Fremden ungemein ver-  
dient gemacht.  
Da Sie DICH nebst DEINEM Bruder meiner  
ersten Hand vertrauten,  
Und mit tausend Höflichkeiten meinen schlechten  
Dienst ersezt;  
Wie nach dem auf diesem Grunde andre noch weit hö-  
hers hauten,  
So hastu nach reissen Jahren mich im Varn-Athen  
ergezt.  
Da DU denn zu meiner Seiten ein getreuer Freund  
gewesen,  
Ich wolt DICH Timoth' wol nennen ? Doch  
ich kan nicht Paulus seyn,  
Indes muss ich von DIR rühmen daß DU Fleiß und  
Müh erlezen,  
Und sonst trifft bei DEINEM Wandel das be-  
kandte Sprichwort ein:  
Inter pone tuis interdum gaudia curis.  
Da DU denn mit frohen Schritten heute zur Catheder  
gehest,  
So bemühe DICH mit Ehren unsern Musen  
darzuthun,  
Wie DU mit gelehrtem Wissen und geübter Junge stehest  
Und DEIN Ruhmbesitzer Eyfer solle hiebey  
nicht beruhn.

Gottes

Gottes Hand geb seyn Gedeyen fernerhin zu den Ges-  
schäften,

Wandle so auch wahrer Tugend als den freyen  
Künsten nach.

So wird man an DEIN Gemählde künftig diese  
Auffschrift hefsten,

Dieser war der Weisheit Liebling ; die zu Eugen-  
den ausbrach.

Hiemit wünschte dem Herrn LÜDERS seinem geehrtesten  
Eisch-Genossen, Auditori, und jekigem Respon-  
dентen zur gegenwärtigen Disputation Glück  
der PRÆSES.

Philosophia felicitatem humanam acquirit, con-  
seruat, promouet, augetque. Hinc recte tan-  
quam regina, siue mater coeterarum scientia-  
rum veneranda. Si vnanimi consensu orbis literati  
talis praedicatur scientia, quid de eius contemtori-  
bus iudicandum? Hi, vel Pseudo-Philosophi, vel sum-  
ma, eaque incurabili mentis aegritudine laborant.  
Sine ope, siquidem & adiutorio huius nostrae regi-  
nae, nec ordinate, nec conueniente modo studia  
nostra pertractare possimus. Si vero illam vili pen-  
damus, qualis est futurus euentus? Via arnenosa in  
qua retro magis, quam ante gredimur. Recte igit  
tur eruditus quidam, nescio quis, ita scripsit: Vi-  
treum vas lambimus, pultem, id est, perfectissimam re-  
rum cognitionem non attingimus, quando literis nec or-  
dinante, nec conuenienti modo incumbimus. Exem-  
pla TVA erudita, praesertim vero praesens istud  
specimen philosophicum, dant testimonia, auxilio  
philosophiae, TE non in composite, sed ordinate,  
non interrupte, sed vna serie operam dedisse litte-  
ris.

ris. Hanc ob caussam TIBI, Amice aestumatissime,  
hac de re gratulor, optans a DEO T. O. M., vt  
non solum magnis TVIS in re Philosophica, sed et-  
iam & aliis scientiis, profectibus, DEI gloria, ec-  
clesiae commodum, charissimae Patriae salus auge-  
atur. Vale.

NOBILISSIMO

Disputationis huius Respondenti, Amico, & com-  
militoni suo suauissimo, gratulaturus, & applau-  
surus, pauca haec adiicere, iisdemque vltorio-  
ri illius affectui se commendare voluit,

Eximii Respondentis

obseruantissimus

CHRIST. GOTTL. DANNHAVER, Hannov.  
L. L. C.

SSG Ancher kahler Stumper eilt, voller Hoffahrt  
zur Catheder,  
SSG Der doch mehr den Tacitum als Philosophie versteht,  
Von DEIN angenehmer Freund, weiß und glau-  
bet schon ein jeder:  
Das DEIN Weisheit reicher Sinn nicht mit  
Prahlen schwanger geht,  
DEIN Verhalten wird der Welt dieses augenschein-  
lich zeigen,  
Hilft mein Wünschen, wird DEIN Ruhm an den  
Sternen Ercker steigen.  
Mit diesen Zeilen begleitete den Herrn Respon-  
denter seinen wehrten Freund und Bruer  
zur Catheder

J. F. AUGUSTINI, Solitqu.  
S. S. Theol. & Phil. Stud.

Rostock Diss., 1728-32



3

f

VD18

5b.





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Farbkarte #13

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
19  
18  
17  
16  
15  
14  
13  
12  
11  
10  
9  
8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
RTATIO PHILOSOPHICA  
SISTENS CAUSAS  
CUR  
ORES & FALSI-  
TES FACILIUS  
QVAM  
AS PROPAGENTUR  
QVAM  
TRINUNIUS AUSPICIIS  
ET  
SU AMPLISSIMÆ FACULTA-  
TIS PHILOSOPHICÆ  
COMMILITONUM CONFLICTUI  
EXPOUNT  
PRÆSES  
JANN. HINRICH.  
WIETMEYER,  
ROSTOCHIENSIS,  
ET RESPONDENS  
N JACOB LÜDERS,  
HIL. & S. S. THEOL. STUD.  
AUDITORIO MAXIMO  
ANNO MDCCXXX. D. JULII  
ROSTOCHII,  
ADLERI, SEREN. PRINC. & ACAD. Typegr.

KENFRIED  
UNIVERS.  
ZVHALLE

1730, 4.

11